

## Ad fluorem gingivarum

LXI. Solent gingivae quorundam fluore infestari, quas praegnates quidam vocant. prosunt eis lentisci folia arida contusa et cribrata tenuiter perforato cribro; facit et cinis eiusdem lentisci foliorum ex aqua eiusdem decocti.

Compositum hoc autem medicamentum prodest, quod et ad omnia ulcera, quae in ore fiunt, utile est; anthera a Graecis appellatur. recipit haec: aluminis fissi  $\text{X}$  p. IIII, myrrhae  $\text{X}$  p. I, croci  $\text{X}$  p. II, cyperi, id est iunci radice  $\text{X}$  p. II, gallae  $\text{X}$  p. I, rosae lutei floris  $\text{X}$  p. I, sandaracae  $\text{X}$  p. III. his omnibus rebus tunsis cretis, arido medicamento uti oportet 10 per pinnam etiam ad parulidas et epulidas, id est ubi ex transverso gingiva suppuraverit vel ubi super extremum molarem increverit gingiva, aut <ad> tonsillarum tumorem magnum ut digito pressius fricentur.

## Ad cancer in ore

LXII. Est et molestum interdum, cum cancer os corripit, quod in in- 15 itis neglectum brevi spatio temporis mortis causa est. oportet ergo, cum primum visum fuerit, antequam latius serpat faucesque occupet, misy